

Fœdissima cum irrisione deseruit. Tunc præterea multitudo dæmonum in aëre ad hoc ipsum spectaculum congregata, clamore ingenti cum cachinno exprobrationis elevato: o, inquit, monache, monache, qui te usque ad cælum extollebas, quomodo demersus es usque ad infernum? Disce ergo, quia qui se exaltat, humiliabitur. Tunc ille velut amans effetus, & deceptionis suæ pudorem non ferens, gravius a semetipso decipitur, quam fuerat a dæmonibus deceptus. Quum enim debuisset reparare semetipsum, & renovare certamen, ac lacrimis & humilitatis fructibus prioris elationis culpam delere; hoc non faciens, sed desperans, semetipsum, sicut Apostolus dixit, (a) tradidit omni impudicitæ & iniquitatib; regressus est enim ad vitam sæcularem, præda dæmonum factus., Haec tenus D. Joannis verba: quæ satis superque elationis hujus periculum declarant.

Sunt autem alii, qui utrumque divinæ benignitati facile concedunt, hoc est, percepta beneficia, & virtutum, quibus ea assequuti sunt, merita: sed nec hoc tamen solum ad

(a) Ephes. 4. 19. (b) Luc. 18. 11. 12.

veram cordis humilitatem sat is est. Nam inter hos sunt multi, qui his divinis beneficiis insolescunt, qui de illis inaniter gloriantur, gloriante & laudem ab hominibus propter ea querunt, & alios, qui his virtutibus destituti sunt, superbe contemnunt. Quorum de numero superbus ille Pharisæus erat, qui bona opera sua Deo accepta referebat, & pro illis gratias agebat: ob illa tamen efferebatur animo, ceterosque peccatores, atque inter eos publicanum a longe stantem, præ se continebat. Itaque orabat: (b) Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptiores, adulteri, injusti, velut etiam hic publicanus: jejunibus in sabbato, decimas do omnium, quæ posideo. Hic videtis, hominem & divina beneficia confiteri, &, velut ii, qui in portu naufragium faciunt, de iisdem beneficiis insolere, & ob ea superbe atque insolenter alios despicer. Tales autem frequenter, quas non habent, virtutes habere se putant, & ab his vitiis immunes se esse credunt, quibus obnoxii sunt. Idem etiam ad vindenda mala sua cæci, ad aliena

ta vero inspicienda oculatissimi sunt: ideoque festucam in aliorum oculis acute cernen tes, trabem in oculis suis non vident. Hos autem, qui sibi nimium tribunt, sibique nimium placent, castigat Apostolus his verbis: (c) qui se existimat aliquid esse, quum nibil sit, ipse se seducit: hoc est, se ipsum stultitiae atque amentiae condemnat. In hunc autem hominem maxime quadrat, quod est a D. Augustino brevissime simul & argutissime dictum: qui sibi placet, stulto homini placet.

His autem modis, aliisque, quos recensere longum esset, in superbiæ scopulum frequenter homines vel non sentientes, ut ante diximus, impingunt: propterea quod hoc vitium occultissimum sit. Hic autem multiplex intellectus erga nostri cognitionem error, unde superbia, quæ est in voluntate, manat, ex amore fui, qui altissime præcordiis nostris infixus est, originem dicit. Is enim falsæ hujus aestimationis atque erroris egregius artifex est. Si enim judex rei amicus per leges suspectus accusatori est; quam suspectus sibi homo esse debet, qui se

tantopere diligit, quique in virtutibus suis tamquam in re gratissima gloriatur? Quocirca valde nobis timendum est, quod talem intra nos adulatorem, talemque errorum magistrum, atque superbiæ seminariū habeamus. Ideoque multis precibus & lacrimis, multoque studio & contentione adversus ejus vim atque potentiam, naturæ lapsæ præsidio munitam, dimicandum est.

§. II.

Sed jam, quæ hominum genera morbus hic præcipue infester, consideremus. Et quidem primo loco se offerunt dívites. Nisi enim ii hac peste laborarent, nequaquam Paulus Timotheo præscriberet: (a) divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere: nisi quia intelligebat, divitias sæpe hominum animos efferre. Numquam enim divitibus adulatores desunt: qui quum divitias magni aestiment, ipsos etiam dívites plurimi faciunt, eosque ut ceteris hominibus dítiores, ita etiam nobiliores & prudentiores esse confirmant. Quorum sententiis internus adulator, quem amorem sui esse diximus, facile consensum præbet. Quo fit, ut levis ho-

F 2 mo

(a) Galat. 6. 3. (b) 1. Timoth. 6. 17.

mo talem se existimet, quam ab externis adulatoribus prædicari audit. Unde in Ecclesiastico legimus: (a) *dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducunt: pauper locutus est, & dicunt: quis est hic? Et si offendit, subvertunt illum.* Hæc igitur ementita laus leves homines de mente dedit, & a vera sui cognitione avocat. Hinc autem illud sequitur quod Ecclesiasticus ait: (b) *vana spes, & mendacium viro insensato; & somnia extollunt imprudentes:* hoc est, futilles laudes, inaneisque favores, leves homines nimiumque sui amantes facile efferunt & attollunt, efficiuntque, ut tantum sibi ipsis tribuant, quantum a mendacibus linguis sibi tribui audiunt. Hinc D. Gregorius: *laus sua justos cruciat, iniquos exaltat: sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum latifidat, reprobos monstrat.*

Acrius tamen ad superbiam nobiles & potentes homines, qui principem in repub. locum tenent, exstimaluntur. Ex loci enim altitudine dignitatem suam metiuntur, dum se eo honore dignos judicant, quem acceperunt: quum ta-

men fortuna oculis capta esse dicatur, quæ sãpe honores magnos ad indignissimos defert. Ut enim proceras arbores* in vertice montium plantatas vehementioris auræ impetus concutit; ita eos, qui in sublimi loco positi sunt, ambitionis atque superbie aura potentius infestat. Vere enim dictum est, *raram esse humilitatem honoratam.* D. Bernardus terrenum quemdam Deum appellat eum, qui inter diversa vina, & opiparas epulas sobrietatem retinet. Non minus tamen hujus nominis gloria dignus erit, qui in excelsa loco positus, inter honores humili, & in sublimi dignitate modestus atque honorum contemptor existit. Hinc Joannes Cassianus monet, ex æquo monachum feminas, & manus episcopi fugere debere; illud, propter castitatis insidias; hoc, propter honoris ex presbyterii dignitate periculum. Itaque vir sapiens non minus difficile esse statuit, inter honores humilem inveniri, quam inter feminas agentem, pudicum & castum esse. Ut enim feminarum convictus castitati, ita honores ampli humilitati insidianter.

Quamvis autem inter digni-
ta-

(a) *Ecclesi. 13. 28. 29.* (b) *Ecclesi. 34. 1.* (c)

tares & honores humilitas pericitetur, multo adhuc majus illi ex insigni scientia & litteratura periculum imminet. Quo enim scientia quavis dignitate & nobilitate præstantior est, eo magis doctorum animos efferre solet. Quia enim multarum rerum cognitio intellectum maxime perficit, ideo qui hanc nobilissimam sui partem variis disciplinis excoluerunt, facile sibi persuadent, tanto se ceteris hominibus esse præstantiores, quanto sunt doctiores. Intelligunt enim, verum esse, quod est ab Aristotele dictum: *visum quidem a circumfuso aere lumen accipere, animum autem a liberalibus disciplinis.* Cui illa Salomonis sententia consentit: (a) *cognovi, quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris: sapientis oculi in capite ipsius, stultus in tenebris ambulat.* Hoc igitur in causa est, cur Apostolus (b) scientiam inflare dicat, quod dignitatis suæ splendore incautis hominibus occasionem se se effendi præbeat. O quam multi sunt, qui sapientia inflati evanuerunt in cogitationibus suis, qui (c) elevaverunt cor suum in decore suo, qui dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt:

Tom. III.

(a) *Ecclesi. 2. 13. 14.* (b) *1. Cor. 8. 1.* (c) *Ecclesi. 28. 17.* (d) *Theodorus, in I. curatio.*

F 3 pa-

quia veræ sapientiæ, quæ de cælo est, discipulos se se præbere designati sunt! Talibus igitur lignum scientiæ viam præclusit ad lignum vitæ; quia superba sapientia ab humilitate avocat, quæ viam nobis ad cælestis vitæ fructum parat. D. autem Thomas hoc nequaquam sapientiæ vitio, quæ pulcherrimum immortalis Dei munus est, sed hominum culpa provenire ait. Theodoreus autem minime insignium sapientium, sed scolorum quorumdam hoc esse, testatur his verbis: (d), in „tumescunt hoc genere superbie homunciones quidam, „non ex his, qui ad summum „sapientiæ Græcæ pervenire, sed qui pauca quædam, quod dicitur, primis labiis delibarunt, sibique „hinc atque illinc pusilla quædam collegerunt. „

Quid vero de eloquentia referam? quæ quamvis rerum scientia sit inferior, tamen ad attollendum animum tanto est potentior, quanto magis in ore hominum, & communi laude versatur. Scientia enim frequenter later: eloquentia vero & scientiam, & se ipsam in publicum prodit, & hominibus spectandam præbet. Hinc ipse

parens eloquentia Cicero (a) his studiis animos ad honoris & gloriae cupiditatem ali testatur. Hic autem morbus prædictores maxime infestat, qui in omnium conventu & celebritate dicunt, quum eos præsertim laudantium voces, & aura popularis in sublime attollit. Quæ res quantopere timenda sit, cælestis magister discipulis a prædicationis officio redeuntibus, & latis successibus gaudentibus declaravit, quum eos satanae exemplo exterruit, dicens: (b) *videbam satanam sicut fulgur de calo cadentem.* Constat enim, causam hujus lamentabilis ruinæ superbiæ extitisse. Ut horum autem elationem Dominus deprimiceret, beatæ Catharinæ Senensi præcepit, ut se ad homines docendos, & a sceleribus suis revocandos accingeret. Illa vero libenter se permittente divinæ voluntati, sed nihilominus suam imbecillitatem, tum etiam sexus conditionem opponente, propter quam ipsam inter homines versari non decebat, Dominus ei abunde satisfecit, inter cetera dicens, usque adeo increvissle superbiam, eorum præsertim, qui se litteratos & sapientes putarent, quod

divina justitia id amplius ferre non posset, quin eos pudefaceret, idque per feminas, ipsius virtute & sapientia instructas.

In his autem personarum generibus, quas hactenus recensuimus, superbia carnalis præcipue dominatur; quando hæc omnia, quæ diximus, vera laude & gloria, quæ uni virtuti debetur, minus digna sunt, quamvis apud homines in pretio habeantur. Majus autem virtutum cultoribus periculum ab hoc vitio imminet. Hinc D. Augustinus: „virtutes habenti „magna virtus est, contemne- „re gloriam. Virtutes enim, „quæ ceteris vitiis adversan- „tur, non raro superbia ma- „teriam subministrant. Quo e- „nim virtus præstantior & lau- „de dignior, hoc majorem „incautis hominibus se se at- „tollendi occasionem præbet.„ O quam multi, dum se ipsos aspiciunt, se ipsos decipiunt, dum virtutum suarum occasione aut aliquid se esse credunt, aut ceteris superiores judicant! Hæc enim gloria dulcedine sua sensim in animum irrepit, & blanda quadam titillatione mentem pulsat, quum homo intra se non quidem verbis, sed tacitis cogitationibus dicit: ha-

cte-

(a) *Cic. contra Sallust.* (b) *Luc. 10. 18.*

stenus integrum & illibatam castitatem multo tempore conservavi; nullum hactenus, quod sciam, capitale crimen admisi; statas quotidie ad Dominum preces fundo; cælesti sæpe dulcedine fruor; corpus meum jejuniis macero, panem meum egenti tribuo: hæc, & his similia, paullatim animum subeunt, ipsumque tacita quadam latititia & voluptate profundunt, hominique persuadent, se jam aliquid in virtutum studio profecisse, illisque superiorum esse, quos his virtutibus destitutos videt.

O quantum in his cogitationibus periculi latet! Quoties enim homo sibi in virtutum officiis placet, toties in superbia præcipitum incidit, & quidquid hoc modo facit, quantumcumque auri splendore meriatur, non verum aurum, sed adulterinum est: at qui humiles corde sunt, peracto pietatis opere, se nihil Deo dignum fecisse putant, & ea, quæ faciunt, multis maculis inusta esse dolenter ferunt: ideoque non plausum de bono opere, sed metum magis concipiunt, cum beato Job dicentes: (a) *verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* At-

que ut omnem ab animo suo superbiae fibras eruant, sollicite Dominum cum propheta orant: (b) *non veniat mibi pes superbia: ibi enim ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Cur autem propheta pedem superbiae, non superbiam, dixit? Nimirum, quia viri sancti non solum totum superbiam corpus, sed etiam primum ejus congressum atque aditum reformat. Quisquis enim domum ingredi cupit, prius in limine pedem ponit, quam totum corpus introferat. Orat igitur vir sanctus, ut ne primus quidem superbiae motus mentem suam impetrat: tantum in ea periculi positum esse arbitratur.

Ex his igitur, quæ hactenus dicta sunt, fratres, liquido constat, eos potissimum huic mortbo obnoxios esse, in quibus splendidum aliquid, & laude, sive vera, sive falsa, dignum fuerit. Hæc enim omnia velut ligna & fomenta sunt, quibus elatio animi, nisi diligenter prospicias, nutritur & robatur. Quo autem res dignior atque præstantior est, eo maiores ex ea vires superbiam caput. Quum autem nihil sit virtute laudabilius, vehementer sibi prospicere debet, quisquis

(a) *Job 9. 28.* (b) *Psalm. 35. 12.*

virtutum laudibus redundat. Vere enim magna laus est, laudabiliter vivere, nec laudem appetere: quodque majus est, nequaquam se laude, sed supplicio magis, dignum existimare, & aliorum quidem judicio magnum, suo vero minimum reputari: apud alios in pretio habeti, apud se autem vilem esse: ab aliis honorari, se vero non honore, sed ignominia, dignum credere. Hæc autem omnia non virtutis humanæ, sed divinæ gratiæ beneficia & opera suæ. Inter quæ cum multa sint admiratione dignissima, & quæ divinam virtutem in fragili hominis natura maxime declarant, tum illud mihi maxime mirabile videtur, summa videlicet virtus cum summa humilitate conjuncta. Vidi enim viros, qui quum ad omnium virtutum culmen pervenissent, ita se animo dejiciebant, ut ipsi se dæmonibus compararent, nec alios invenirent, quibus se similes esse dicerent. Quid ergo mirabilius, quam ita se damna-re, qui nihil habeat damnam-dum? ita se accusare, qui vix quidquam habeat accusandum? neque ex tot virtutibus, quas habet, ullam sibi placendi ansam arripere? quumque alienum virtutum candidissimi sint

laudatores & admiratores, sua-
rum tantum sunt contempro-
res? Hujus autem rei causam
esse arbitror, quod viri sancti,
miribili quadam Dei providen-
tia ad aliorum virtutes inspi-
ciendas oculatissimi, ad suas
autem pæne cæci sint. Sic enim
Mosis splendor, in ejus vultu
fulgens, ab aliis videbatur, &
se autem ignorabatur.

§. III.

Sed quoniam gravissimum superbiæ morbum tot homi-
num genera acerbissime vexan-
tem vidimus; consequens est,
ut huic tanto malo remedium
adhibeamus. Inter varia autem
ejus remedia, primum est, ut
pius homo vigilantibus oculis
interiores animæ suæ cogitatio-
nes & motus perscrutetur, at-
que ubi cogitationem aliquam
præsenserit, qua vel se aliquid
esse putet, vel de aliqua virtu-
te sibi placeat, tunc a subtilissimo
superbiæ spiritu insidias
sibi parari intelligat, & omnem
hujusmodi cogitationem & mo-
tum, velut gehennæ scintillam,
a se celerrime excutiens, in
imum se barathrum mente
conjiciat, & se peccatorum
omnium miserrimum atque in-
fimum esse fateatur, qui non
contentus tot ante patratis sce-
leribus, hoc etiam ad malorum

suo.

suorum cœmulum adjungat, ut
fidelem se Dei servum credat,
quum rebellis semper & ingra-
tus extiterit. Hinc D. Bernar-
dus: (a) „in anima non est
„plane timenda quantilibet
„humiliatio, horrenda autem
„nimiumque pavenda vel mi-
„nima temere præsumpta ere-
„ctio. Quam ob rem noli te,
„o homo, comparare majori-
„bus, noli minoribus, noli a-
„liquibus, noli uni. „ Hacte-
bus Bernardus.

Si quid autem honeste & lau-
dabiliter quis gesserit, adeo si-
bi de bono opere non placeat,
ut timoris etiam materiam ex
eo arripiat: quum timere de-
beat, an quod justum est, vel
parum juste, vel negligenter ac
desidiose fuerit exsequutus: id-
eoque magis pro negligenter
præstito officio veniam petere
debet, quam pro servitio mer-
cedem. Ita fit, ut ipsis virtu-
tum actionibus non ad super-
biæ & falsam securitatem,
sed ad humilitatem cordis &
sollicitum timorem, magis exci-
tetur. Est etiam non vulgate re-
medium, ut pius homo non ea
bona, quæ facit, sed mala, qui-
bus premitur, attentius consi-
deret: non quantum profece-
rit, sed quantum defecerit: non

quas habet virtutes, sed qui-
bus destitutus sit, frequentius
consideret. Hoc nos S. pater
Augustinus admonet his verbis:
„qui vera pietate in Deum,
„quem diligit, credit & spe-
„rat, plus intendit in ea, in
„quibus sibi displaceat, quam
„in ea, si qua in illo sunt, quæ
„non tam ipsi, quam veritati
„placent: nec id tribuit, unde
„jam placere potest, nisi ejus-
„dem misericordiæ, cui metuit
„displaceere, de his sanatis gra-
„tias agens, de illis sanandis
„preces fundens. „ Hactenus
Augustinus. Quisquis igitur hoc
præstiterit, cum Apostolo di-
cere poterit: (b) *qua retro sunt
oblivisciens, ad anteriora me sem-
per extendo.* Hoc enim modo
sollicitus viator ad patriam pro-
perans, non quantum itineris
emensus fuerit, sed quantum
superest sibi, ante oculos po-
nens, ad id, quod reliquum est,
conficiendum accingitur. Qui
vero aliter faciunt, superbum
illum Pharisæum ex evangelio
imitantur: qui malorum suo-
rum oblitus, solaque bona ope-
ra sua considerans, seque ani-
mo efferens, humilem publica-
num despiciebat, qui ne ocu-
los quidem propter peccato-
rum suorum conscientiam ad

ex-

(a) Bernard. in Cant. (b) Philip. 3. 13.

cælum levare audebat. Ille igitur dum sola bona opera sua contemplatur, superbus efficitur: hic vero, dum sola criminis sibi ante oculos ponit, humilitate stabilitur.

Juvabit & illud, si pius homo sanctissimorum hominum clarissima exempla & virtutes sibi ante oculos ponat, ut illorum comparatione infirmitatem suam apertius videat. Hac enim ratione fiet, ut obliqua rectis comparata, obliquitatem suam magis conspicuam reddant. Ut autem qui se melioribus comparant, humiliores evadunt: ita qui se cum deterioribus componunt, superbius efferuntur. Quocirca nullo modo pius homo virtutem suam deteriorum comparatione metiatur. Nihil enim adeo turpe est, quod, cum re turpissima comparatum, non aliqua ratione possit honestari: nihil adeo sordidum, quod, cum re sordissima collatum, non purum judicetur. Ad hoc autem nos D. Hieronymus hortatur, qui in quadam ad amicum epistola sic ait: „oblitus posteriorum, semper priora sectaberis, ne quamquam considerans, quid alii male faciant, sed quid boni tu facere debeas: nec

„ peccantium ducaris multitu-
„ dine, sed sanctorum exem-
„ pla potius imiteris. „ Haste-
nus ille. Idem nos D. Grego-
rius monet his verbis: (a) „ in
„ cunctis, quæ agitis, radicem
„ boni operis, humilitatem, te-
„ nere; nec quibus jam superio-
„ res, sed quibus adhuc inse-
„ riores estis, adspicite: ut
„ dum meliora vobis exempla
„ proponitis, ad majora sem-
„ per ascendere ex humilitate
„ valeatis. „

S. IV.

His remedii extremum ad-
jungam, quod a præsenti sol-
lemnitate non abhorret: nem-
pe, ut pius homo patronum
adversus hoc monstrum exquirat, cuius illum viribus atque
præsidio debellare atque pro-
sternere queat. Nullus autem
ad hoc commodior, quam Mi-
chael archangelus: cuius inter
alias virtutes & egregia facta il-
lud præcipue memoratur, quod
magnum illum Leviathan, qui
est rex super omnes filios su-
perbiae, expugnaverit, atque
ex altissimo cæli cardine in
imum barathrum dejecerit: qua
de re sic in Apocalypsi legimus:
(b) factum est prælium in cælo,
Michael & angeli ejus pralia-
bantur cum dracone, & dra-

co

eo pugnabat & angeli ejus: &
non valuerunt, neque locus eo-
rum inventus est amplius in cæ-
lo. Hujus ergo tam atrocis præ-
lii, quo victores, cælesti regno
potiti, victi autem æterna ca-
ptivitate damnati sunt, dux
sanctus Michael exstitit, qui
pro summi Dei gloria adver-
sus draconem fideliter decerta-
vit. Certamen autem constat
non corporum, quæ ibi nulla
erant, sed spirituum fuisse: in
quo boni angeli magna con-
tentione pro Dei gloria, ma-
li vero pro sua dimicabant.

Quod autem fuerit primum
horum peccatum, non ita fa-
cile expediri potest. Difficul-
tatis autem ratio est, quod omne
fere peccatum, quod voluntatis
consensu perficitur, error
aliquis in intellectu, cuius du-
ctum sequitur voluntas, ante-
cedere solet. Unde est illud,
quod vulgo jactari solet: *omnis
peccans est ignorans*. At in an-
gelorum intellectu ante pecca-
tum error esse non potuit.
Quum enim error poena sit, quæ
culpam sequitur; ubi nulla præ-
fuit culpa, nulla etiam erroris
poena præcedere potuit. Qua de
causa, qui rectius in hac parte
philosophantur, primum hoc
peccatum, non commissionis,
sed omissionis esse ajunt. Hoc
enim peccati genere sine prævio
intellectus errore delinquere
possimus: quia videlicet nequa-
quam tempore debito adverti-
mus, quod erat diligenter anim-
advertisendum. Sic enim sarcina-
tor, sic clementarius peccare in
officiis solent, quum artium sua-
rum regulas propter socordiam
& incuriam non advertunt. Ma-
li ergo angeli, ubi se ipsos in
primo operationis suæ instanti,
& dignitatem, in qua a Deo
conditi erant, agnoverunt, de-
buissent in secundo conditorem
suum, tantorumque donorum
largitorem reveri, & pro tan-
tis beneficiis gratias agere, i-
psumque tamquam summum
bonum summo amore diligere,
illiusque se obsequio tota devo-
tione atque humilitate committere.
Quod quia non fecerunt,
quum facere tenerentur, in hoc
peccatum omissionis incide-
runt. Dum ergo miram illam
naturæ suæ pulchritudinem &
dignitatem contemplati, eam
conditori acceptam referre neg-
lexerunt, in se ipsis, non in Deo,
gloriati sunt: atque ita elevave-
runt cor suum in decore suo.
Hinc Deo similes effici optave-
runt, cuius proprium est, non
ab alio pendere, sed propria
virtute niti. D. vero Thomas
hac ratione principem illum

an-

(a) Gregor. in Homil. (b) Apocalyp. 12. 7. 8.

angelum Dei similitudinem affectasse ait, vel quod naturalem beatitudinem, vel etiam supernaturalem, propria virtute sua se habiturum considerit: quam tamen nemo, nisi supernatura- li Dei dono, consequi potest. Ut enim D. Anselmus ait: *id appetit, quod habuisset, si stetisset.* Hæc autem duo in idem recidere D. Thomas ait: quia utroque modo voluit ultimam beatitudinem propria virtute consequi. Ubi autem hoc insando scelere depravatus fuit, in alia deinde superbiæ præcipitia lapsus est, super res alias principatum, qui soli Deo convenit, superbe appetens.

Adversus hanc igitur tantam superbiam S. Michaël, cum reliquis spiritibus pro Dei gloria dimicans, ait: (a) *quis similis tulit in fortibus, Domine, quis similis tui?* Nefas enim horrendum ac detestandum est, creaturam ullam, quod tremenda majestatis proprium est, velle sibi arrogare. Hac aurem de causa, ex victoria adversum dra-

conem parta, Michaëlis nomen accepit. *Michael* enim significat: *quis Deo similis?* Ut enim Scipioni Africano, si terrena hæc atque pusilla cælestibus comparare licet, a domita & superata Africa nomen inditum fuit: ita Michaël, ob insignem hanc vocem, qua Dei gloriam extulit, & superbientem draconem corripuit, hoc nomen accepit, quod ejus singularem fidem, humilitatem atque obedientiam præ se fert. Hunc igitur archangelum, quem Dominus militiæ suæ principem, & gloriæ suæ vindicem esse voluit, nobis in patronum sumamus, ab eoque suppliciter petamus, ut quod ipse odium adversus hoc superbiam monstrum habuit, mentibus nostris instillet, & humilitatis virtutem, qua & ipse, & lectatores virtutis ejus boni angeli in gratia confirmati & stabiliti sunt, nobis a Domino virtutum impetrare dignetur: ut per humilitatis viam incendres, ad eorumdem felicitatem & gloriam mereamur pervenire.

(a) *Exod. 15. 11.*

IN FESTO BEATI HIERONYMI CONCIO UNICA,

IN QUA DE VERA SAPIENTIA, QUÆ in hoc patre sanctissimo mirabiliter eluxit, & in qua etiam hominis felicitas sita est; deque dupli felicitate, altera perfecta, altera inchoata, differitur.

THE. *Præposui sapientiam regnis & sedibus: & divitias nibil esse duxi in comparatione illius.* Sap. VII. 8.

*** * Uum omnia, quæ a Deo in hac rerum universitate conditoris sapientiam atque potentiam testentur atque declarant; tum hoc in primis efficit infinita prope conditarum rerum multitudo atque varietas, quæ non in ipsis modo rerum speciebus atque generibus, sed intra ea etiam, quæ sub ipsis generibus continentur, elucet. Quanta enim in avibus cæli varietas? quanta in quadrupedibus? quanta, quamque mirabilis in tot piscibus maris? ac postremo quanta in tot virgultorum atque ar-

borum figuris, fructibus, & frondibus? Quid vero homines, qui sub eadem specie continentur, referam? Ut enim varios eorumdem mores & ingenia præteream, quis duos vultus omnino similes, etiam inter fratres geminos, deprehendat? ut non immerito D. Ambrosius tantam inter se & fratrem quemdam suum oris similitudinem miretur, quæ non raro faciebat, ut etiam qui cum illis versabantur, Ambrosium pro Ambrosii fratre convenienter: quorum is errorem intelligens, comiter & blande respondens: *videte, dicebat, ne fratri dixeritis.*

Quor-